

Mani die leryhu 3 Brücke =

(= 44) 1) Sacrobüste, Johannes de

Sphaerionem opus certum.

[Leipzig: bei Walter des Capellans, 1485-1489]

Hain. X 74 295

BMB. III, S. 636.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

(= 45) 2) Vegius, Maſſeris (nicht: Vitorius?)

De veritate et philoſophie
Leipzig: Konrad Kachelofen.

Hain. 24942

Hain X 15929, BMB III S. 632

3. Tibullius Alſtinus:

Ec. 8

Elegia de amore et lani Eximio Messalae

(= 46) Leipzig: Konrad Kachelofen. nicht nach 44 S. 27

BMB

III

S. 623



C A R M E N

DE SALVTARI
NATIVITATE
IESV CHRISTI, DEI
ET MARIAE VIRGINIS

Filii, Domini ac Fratris humani generis,
feliceis strenæ loco humillimè
consecratum

AMPLISSIMIS, PRV-
DENTISSIMIS, ERVDITI-
one & virtute ornatissimis viris, Dn. Consulibus, cæ-
terisq; Senatoribus Urbis inclytæ Cerbestensis,
Dominis patronis ac promotoribus
suis summâ obseruantia
colendis,

à

Georgio Biberto Cerbest.
filiorum nobilium de
Dahl præc.



8
1553



MAGNIFICIS AC

AMPLISSIMIS VIRIS,

sapientia, doctrina & virtute prestantissimis Domi-

nis Consulibus ac Senatoribus inclite Certestensium

Reipub. Dn. Patronis ac fautoribus suis obser-

vanter colendis, Salutem & felicem

novi anni auspiciam pr:



Esta dies iterum revoluto cernitur anno,

Quam nobis solito tempore Bruma
refert.

Inquit infirmos nostri quam corporis artus,

Filius aeterni lux & imago patris:

Nunc octava venit Iani lux ante Calendas,

Qui fuit annus abest, qui venit annus adest,

Dicat nunc Christo sacras Ecclesia laudes,

Dicat jò pubes florida dicat jò.

Hæc est illa dies, quam primi noxa parentis

Desiit humanum morte perire genus,

Quam stupere nigri ciues & rector Auerni,

Cum DEVS infanti vagiit ore puer.

Hæc est illa dies, tristi quam reddidit orbi,

Primi homines primo quam perire die.

Salve sacra dies, alacri dignissima plausu:

Salve o purpureis lux memoranda notis.

Quam fons justitiae nostrae & pietatis origo,

Assumpto fragili corpore factus homo.

Quam patere fores clausique palatia coeli,

Sensit & insuetum nox tenebrosa jubar.

A 2

Quam

Quâ sumus erepti stygii de faucibus Orci,
Qua sunt & mortis spicula fracta trucis:
Ergo nunc toto soluamus pectore grates
A Eterno tantâ pro bonitate λόγω.
Extimulet pietas animum, & nouus incidat ardor
Omnibus, ut grati munera tanta canant.
Hæc etiam sacrata mihi natalia Christi
Condere præfenti carmine caussa fuit.
Et tale ô Patriæ Patres prodire per auras
Vestro sub titulo Musa iubebat opus:
Utq; meum ratione aliquâ testarer amorem,
Semper & (ut merita est) gratus ubiq; forem.
Accipite ista, viri virtute fideq; potentes,
Quæ vobis strenæ, munera, mitto loco.
Et commendatum me vobis semper habete,
Quæso cliens humilis consulitote boni.
Estis honorata mihi digni ritè Camœna
Ingenii modo sit vena benigna mei.
Cum iaceant tristes hoc duro tempore Musæ,
Afflictis aliquam nec ferat ullus opem:
Sit constans amor in Musas vesterq; fidelis,
Ne decus illarum prorsus in urbe cadat.
Floreat ut quondam Christo dilecta Sarepta,
Floreat ac urbis publica prosperitas.
Hoc faxit DEVS æternus, qui numine Christi
Flaminis & sancti pectora vestra regat.
Datæ ex arce Rethemensi circa Alleræ fluuium,
die natalis Iesu Christi anni instantis 97.

Vest. Amplit.

addictiss.

Georgius Bibertus Cerb.

CARMEN ELEGIACVM
DE NATIVITATE DOMINI
& Seruatoris nostri Iesu Christi.

Læta dies redijt cunctis celebran-
da diebus,
Pangite nunc Musæ hæc car-
mina digna die.
Si Latia reges quondam celebra-
stis in Vrbe,
Qui tamen exitio sæpè fuere suis.
Si per vos coluit natalem Roma Neronis,
Quo vix in toto nequior orbe fuit.
Quo magis ad cunas & vilia stragula Christi,
Dulce puellari dicite voce melos.
Induit infirmos nostri qui corporis artus,
Cum sine principio sit sine fine Deus.
Cum Pater æternus magnum fabricasset Olympum,
Et quicquid tantæ pondera molis habent.
Lumina concessit toto splendescere cælo,
Indidit ac celso sydera clara polo.
Æquoreum innumeris inclusit piscibus amnem:
Aeri aues, terræ constituitq; feras.

A 3

Fronde

Fronde tegit sylvas & terram reddit opimam,
Hinc letæ segetes pomaq; punicea,
Cumq; deesset homo, cultis qui erraret in hortis,
Ex tenui terræ pulvere factus Adam.
Huic datur effigies rerum moderantis habenas,
Esset ut æterni splendida imago Dei.
Huic data vis omnis quæcunq; creata tenendi,
Quæ vel terra capit, vel leuis aura vehit.
Decerpi quoscunq; iubet Deus arbore fructus.
Vnum præterquam quam paradisus habet,
In qua præ reliquis incultè infusa lateret,
Cognitioq; mali cognitioq; boni.
Hunc ubi contemplatur Adæ dulcissima coniunx,
Mox illi retulit talia verba Satan:
Quid trepidas mulier fructu nec vesceris illo?
Si comedas, patris mystica cuncta scies.
Huic diro faciles Serpenti præbuit aures,
Aëua suâ ledens talia poma manu.
Reddidit iratum cœlestia regna tenentem,
Heu mulier spernens iussa verenda Dei.
Eheu quantorum nobis sentina malorum
Ex pomi morju prodiit Eua tuo.
Hinc peruersa magis uruntur pectora flammis,
Hinc odii cœpit luxuriare seges.

Hinc

Hinc hominum mentes furis agitantur iniquis,
Hinc omnes avidâ mors rapit atra manu.
Hunc nostrum inspiciens diuina potentia casum,
Casum quem nullus tollere posset homo.
Nec nos æternis voluit cruciatibus angî,
Quos habet in stygiis turba Draconis aquis.
Mox ergo natum, quem prædixere Prophetæ,
In mundum misit, qui mala cuncta premat.
Atq; ubi completum, post longa oracula vatum,
Tempus adest superâ nuncius arce venit.
Virginem ad hanc castam, cui coniunx esset Ioseph,
Mittitur à summo nuncius ille Deo. *Archangelus*
Hanc adit astrigerâ scandens *Gabrielus* arce,
Conficere atq; Dei iussa verenda studet.
Concipies, dixit, virgo cui nomen IESVS,
Ac paries natum, casta Maria, Dei.
Magnus erit puer hic, & regia sceptrâ tenebit,
Hic Rex & Dominus totius orbis erit.
Huic Deus en sedem tradet sua regna potentem,
Perpetua hic fausto numine sceptrâ geret.
Percipiens voces respondit casta Mariâ,
Edere quæ fœtus innuba virgo potest?
Interea Augusti noua lex sonat edita iussu,
Reddenda Hebræi de ratione soli.

Quilibet

Quilibet unde, tribus patrie delatus ad urbem,
 Præsenti solvat iussa tributa manu.
 Huic parere studens genetrix castissima Christi,
 Ad Bethlemiacas tendit & ipsa domos.
 Frigida stabat hyems, obtectaq; veste niuali
 Undiq; terra fuit, qua faciebat iter.
 Heu virgo, cui diuinus nunc partus adesset,
 Frigoribus duras cogitur ire vias:
 Haud homines curant prænantem prætereuntes.
 Hospitij caruit commoditate boni.
 Nam stabulum monstratur ei, loca commoda dives
 Occupat, ante boues sic pia virgo parit.
 Obstetrice caret, partus ubi reddere debet,
 Quam prægnans mulier semper habere solet.
 Ab nulla cupiunt illi mulierculæ adesse,
 Puluinar puero quæ posuisse velint.
 Mollibus in cunis minus hic deponitur infans,
 Præsepi in duro sed iacet immeritus.
 Sic dignus bysso, dignus quoq; serico, & Ostro
 In stabulo brutum vagiit ante pecus.
 Hæc ita dum tacitæ peraguntur tempore noctis,
 Quæ natum peperit virgo pudica Dei.
 Adsunt agrestes ouium hac regione ministri
 Excubias mediâ pro grege nocte gerunt.

His

His pulchra apparet specie (mirabile dictu)
 Angelus, æterni missus ab arce Dei.
 Perculsa subitâ trepidant formidine mentes,
 Et simul hirsuta stantq̄, rigentq̄ coma.
 Ille metus, inquit, pastores soluite vestros,
 Deserat & gelidus pectora vestra timor.
 Non ideo lapsus venio de vertice cæli,
 Ut perdam nutu vosq̄, gregesq̄, meo.
 Gaudia sed fama totum vulganda per orbem
 Affero, quæ nulla sunt peritura die.
 Bethlemica vobis natus Saluator in urbe est,
 Qui tollet merito crimina vestra suo.
 Bethlemicas agite ite domos, & quærite natum
 Virginis illæ se munificiq̄ Dei.
 Festinate viri, celeri nunc currite gressu,
 Heu capiunt sanctum gramina dura latus.
 Huic animo grato vestes substernite vestras,
 Huic omnes posita fundite vota mora:
 Est etenim hic ^{uester} ~~vestes~~ multos optata per annos,
 Et patrum votis mille petita, salus.
 Hic est iratum qui scit placare parentem,
 Destruet hic Stygii regna profunda ducis.
 Hic vitæ fons est, panis cælestis, & idem,
 Quo saturetur homo, se iubet esse cibum.

B Quem

Quem si quis vestrum vero amplectatur amore,
Ille sitim nullam sentiet atq; famem.
Non hic ouile lupo fugiens grassante relinquet,
Pro grege sed diræ mortis adibit iter.
Hæc ubi dixisset liquidas ascendit in auras,
Et redit ætherei rursus ad astra poli.
Nec mora, præclaras circum Bethlemidos oras,
Angelicus cecinit talia verba chorus:
Gloria in excelsis Domino: Pax aurea terris,
Contingant homini leta volente DEO.
Hisq; repercursus resonabat vocibus æther,
Intrarent illi dum sacra tecta poli:
Mox ubi pastores natum audiuerunt puellum,
Qui sontem patri conciliaret humum.
Ibimus hinc, aiunt, natum videamus Iesum,
Carpenti cunctis mens erat una viam.
Nec mora, cum veniunt prisca ad penetralia Bethla,
Inveniunt puerum cum genetrice sua.
Assistant toto mirantes pectore prolem,
Et tandem posito verba pauore ferunt.
Angelicæ narrant alij mandata caterua,
Pars genibus flexis cætera vota facit.
Vna aiunt hilari tollamus iubila plausu,
Dicentes miti carmina grata DEO.

Fors

Fons etenim nostræ præsentis luce salutis
Christus ab intactâ virgine natus homo est.
Humani hic generis non tantum crimina tollet,
Gaudia sed reddet, non moritura pijs.
Discedant curæ, terrarum gaudeat orbis,
Expectata diu venit in orbe dies:
Quilibet exultans igitur de pectore toto,
Iubila grata Deo fundat ab ore pio:
Verbum promissum cunctis nam gentibus orbis
Induit hæc nostri corporis ossa die.
Hæc est illa dies, summi quâ sancta tonantis
Astrigerâ soboles scandit ab arce poli.
Hæc est illa dies, quâ sacra Ecclesia Christi
Mirata est ^{soyri} consiliūq; DEI.
Quod, quæ principio caruit, quæ nescia finis
Natura æterni lux & imago patris,
Induit humana gestamina vilia carnis
Et sibi iunxit opus conditor ipse suum.
Nempe infinitum finito unitur, & unum
Fit Deus & maria virgine natus homo.
Quid precor esse magis mirum, quid deniq; possit
Naturæ insuetum legibus esse magis?
O miranda DEI Sapiencia, nullius unquam
Eloquio linguæ res celebranda satis:

B 2

Talia

Causa, cur tibi
stus Romanam na
tuzomassonsetit.

Talia quis poterit nostro comprehendere sensu?

Talia quis poterit facta referre satis?

Quæ tibi causa fuit, patrias quod deseris arces,
Natus & in carnem, Christe, venire cupis.

Scilicet illud erat generis dilectio nostri,

Atq; ingens nostræ cura salutis erat.

Vt tibi nascenti redimatur sanguine sanguis,

Et tibi saluetur carne redempta caro.

Quid tibi Christe tuo hoc pro tanto munere reddam,

Gratia quæ meritis par erit ulla tuis?

Si mihi quis centum linguas daret, oraq; centum,

Tanta tua haud possem facta referre satis:

Extant tanta Dei trini mysteria, tamq;

Vero erga populum flagrat amore suum.

Ergo nunc, æterne Pater, qui cuncta creasti,

Nostra tibi grates pectora & ora sonant.

Quod genus humanum non dira in morte relinquis,

Effigiemq; tuam non periisse sinis.

Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,

Verus homo, verus de genitore Deus:

Quin etiam nato grates dicamus Iesu,

Ipse quod assumpsit debile carnis opus,

Induit & nostram mirando fœdere massam

Æterni λόγ & hic viua & imago patris.

Nam

Nam nisi iunxisset nostri sibi corporis artus,
Et nisi decreto tempore factus homo.
Ira Dei posset nullâ ratione leuari,
Nec vinci mortis tristia regna trucidis.
Ergo laus tibi Gnate Dei de virgine nato,
Qui nos heredes efficis esse tuos.
Flecte precor nobis iratum Christe parentem,
Qui vis pro nobis supplicis esse loco.
Da veniam erratis, parcas, peccasse fatemur,
Pœnitet & toto corde fuisse malos.
In te vera salus, in te spes nostra recumbit,
Da nobis tantâ posse salute frui.
Sint mala cuncta procul, procul hinc depellito pestem,
Et fera bella procul pelle, famemq; leua.
Fac maneat sancti terris Lux integra verbi,
Et maneat populo non variata tuo.
Fac nobis veniens ut eat feliciter annus,
Et multas fruges terra benigna ferat.
Quò tibi persoluat meritas Ecclesia grates,
Et resonet laudes hic & ubiq; tuas.

F I N I S.

P R E C A T I O

A D E M A N V E L E M D E I E T
Mariæ filium, ut præsens 97. annus sit felix atq;
salutaris: ab eodem auctore scripta,

&

D O C T I S S I M I S, I N S I G N I
*pietate & viua virtute ornatissimis Viris, Dominis
Consulibus Reipub. Cerb: Dn. Iacobo Gregorio, pro-
motori ac fautori suo singulari: Dn. Martino Erd-
manno, tutori ac spiritali patri suo carissimo,
debitæ gratitudinis ergò transmissa.*

Ὁ λόγε gnate Dei, cœlestis imago parentis,
Qui simul æternū cum patre numen habes.
Tu, nostros facili miseratus corde dolores,
Venisti, populi spesq; salusq; tui.
Credimus & nostræ manet hæc fiducia menti,
Tu quod ab æterno sis patre missus homo.
Ac fragili indutus massa pro crimine nostro
Solueris irato debita λόγη patri,
Gloria gnate Dei tibi sit pro munere tanto,
Qui nos hæredes efficis esse tuos?
Te mellite tuum supplex rogo Christe per ortum,
Ut foueas flatu pectora nostra tuo.
Da præcor ut faustè sacra florescat in æde
Hoc anno pietas relligioq; tui.
Inuicta nos gnate D E I tu protege dextra,

Emma.

Emmanuel populi sis maneatq; tui.
Serva reliquias spretas spretamq; Sareptam,
Serva naturæ viscera iuncta tuæ.
Collige perpetuum nostris in finibus agmen,
Quod te sincero semper honore colat:
Ah tibi sit regi deserta Ecclesia curæ,
Quæ nunc Christe tuam solius optat opem.
Dum mœsto spectat Doctorum prælia vultu,
Prælia quæ læuus spirat vbiq; Satan.
Et tua defendas discentes dogmata coetus,
Atq; regas nutu pectora nostra tuo.
Nos serua miseros iam iam sub mole cadentes,
Fidaq; militiae membra tuere tuæ.
Tu Mahometigenæ prohibe conamina gentis,
Tutaq; nauiculæ littora redde tuæ.
Det tibi supplicium Papa crudelissimus hostis,
Et dirum Moscum Christe perire fins.
Tolle procul rixas immania bella mouentes,
Et da concordie viuere pace tuos.

Soli DEO gloria.


Versifer tabellarius ad pium Lectorem.

Accipe miti animo, quæ, Lector dona Biberti,
Sunt tibi transmissa, & consule quæso boni.

Fa 1388,
80

Ink.

[Faint blue ink scribble]



ARMEN
ALVTARI
IVITATE
CHRISTI, DEI
RIAE VIRGINIS
ni ac Fratris humani generis,
strenæ loco humillimè
consecratum
SSIMIS, PRV-
SIMIS, ERVDITI-
atissimis viris, Dn. Consulibus, cæ-
ribus Urbis inclytæ Cerbestensis,
is patronis ac promotoribus
s summâ obseruantia
colendis,
à
io Biberto Cerbest.
iorum nobilium de
Dahl præc.

8
1553

8

